DE MYELOPHTHISI SICCA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXIV. M. DECEMBRIS A. MDCCCXLVI
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
CAROLUS OERTEL
PRIMISLAVIENSIS.

OPPONENTIBUS:
G. MOEHRING, MED. ET CHIR. DR.
L. BESSEL, MED. ET CHIR. DD.
J. PAUL, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI
TYPIS GUSTAVI SCHADE.

PARENTIBUS

OPTIMIS, DILECTISSIMIS,

SUMMA PIETATE COLENDIS,

AC

FAUTORIBUS ET AMICIS SUIS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Cum summos in medicina honores ambientibus per leges moremque antiquum impositum sit, ut conscribant libellum cujusvis argumenti medici eumque publice defendant, me quoque per dissertationem aliquid publici juris facere vulgaris jussit necessitas. Id tamen, quod fere omnibus accidisse compertum est, nec a me fuit alienum, quippe in delectu anxius dubiusque haesitabam. Elegi denique hanc de myelophthisi materiam, non quod hac de re novi aliquid habeam, sed quia morbum illum saepius observandi occasio mihi oblata fuit.

Te autem, lector benevole, etiam atque etiam rogatum velim, ut indulgenter et benigne de re proposita judices; quod si recuses, cave, ne vituperanti tibi rectius inhumanitas, quam forte scriptori mihi inscientia vitio detur.

Myelophthisin, Phthisin siccam, Tabem dorsi, dorsalem seu dorsualem, medullarem, coecam, posticam, coxariam, ischiadicam, Atrophiam medullae spinalis, dorsi, Paresin vel Paralysin dorsalem, medullarem, massam medullae spinalis minutam inprimis inferioris ejus partis, caudae equinae, dicunt, qua anaesthesis et exinde atrophia, paresis et postremo paralysis earum corporis partium exoriuntur, quarum nervi ex tabescente medulla spinali originem ducunt.

Est enim medulla spinalis organon illud, quod omnes nervorum fibras periphericas, et sensitivas et motorias excipit easque ad cerebrum perducit; quam ob causam utriusque generis innervationi et centrifugae et centripetae, excepta tantum illa, quae ab ipso cerebro nervisque cerebralibus oritur, inservit eamque conducit. At non solum ad conducendum principium nerveum idoneam esse medullam spinalem, sed etiam ad illud movendum et producendum valere, auctore J. Mueller certo certius constat, eodemque modo illarum actionum, quae excito-motoriae vocantur, regulatrix est medulla spinalis.

Cauda equina saepe dimidiam tantum vel tertiam ambitus normalis partem obtinet et omnis substantiae nerveae expers apparet; accuratiore tamen perscrutatione aliquantulum medullae adhuc singulis nervorum fasciculis inesse docemur. Substantia nervea colorem flavidum ex luteo cinereum aut viridem prae se fert, et consistentiam justo molliorem habet.

Medulla passim constricta, quasi nodosa invenitur. Cui medullae conditioni similem nervorum inde proficiscentium deprehendimus, energiam scilicet debiliorem solitamque vim consumptam.

SYMPTOMATOLOGIA.

Discernimus stadium irritationis, stadium paralyticum.

Stadium irritationis. Aegrotus parva corporis intentione praecipue extremitates inferiores et lumbos defatigatos sentit, queritur sese, si stare pedibus et ambulare velit, illud ob debilitatem et gravitatem, quas sentiat in pedibus, non bene posse, et praesertim si per longum temporis spatium illud conetur, illa debilitate ut considat cogi; eundo vacillare incipit, inprimis cum stare aut erigere se velit, operam impendat majorem necesse est, uno idcirco pede stare fere nequit, nec etiam unius pedis digitis se erigere, aut equitando exercitatus non ita ut antea crura equo adaptare potest. Quo quidem in stadio, quamvis sit manifesta musculorum extremitatum im-

becillitas, tamen ipsa earum paresis non exstat, nam omnes extremitatum musculi voluntati patientis etiam in stadio provectiore subjecti sunt, potest enim quos et quocunque vult movere. Interea corpus in dies extenuatur, macrescunt extremitates inferiores musculique dorsi, ita ut denique processus spinosi in vertebris lumborum maxime promineant.

Ligamenta capsularia articulorum praecipue femorum, crurum pedumque relaxantur et emolliuntur, sic ut articuli quasi dilabi videantur, eorumque flexio praevaleat. Cutis ipsa harum partium omnino laxa, sicca, frigida, turgorem amittit vitalem.

Eodem tempore sentitur ab aegrotis symptoma illud notissimum, quod jam ab Hippocrate, venerabili naturae observatore, adnotatum est, formicatio secundum columnam vertebralem. Dicit autem auctor librorum de morbis: „*Καὶ ἢν ἐρωτᾷς αὐτὸν, ῥήσει οἱ ἄνωθεν ἀπὸ τῆς κεφαλῆς κατὰ τὴν ῥάχιν κατέρχεσθαι δοκεῖν οἷον μύρμηκα.*"

Neque vero solo formicationis sensu afficitur aegrotus, videtur etiam calida aqua superne de capite in spinam profundi; sunt etiam qui frigus a cervice per columnam vertebralem deorsum descendens querantur.

Accedit saepe hebes dolor in inferiore dorsi regione, vel fixa quaedam pressio in certa ejus parte, sensusque inde abdomen constringens. Alii etiam gravi capitis dolore vere nervoso, doloribusque crurum lumborumque rheumatismum mentientibus affi-

ciuntur. Interdum etiam dolores abdominis veluti colici in lumbos desinentes existunt, ut fere pro rheumatica vel arthritica colica haberi possint, nisi dolores essent mitiores, transitorii tantum et febris expertes.

Eodem fere tempore, auctore **Romberg**, anaesthesia muscularis et cutanea circa tactum oriri solet, sensibilitate cutis ad calorem et frigus percipiendum et dolorem non statim minuta. Rigida sentiuntur crura, non aliter ac si immersa essent in aquam frigidam, vel si plane non adessent, vel si involuta essent tegumento chartaceo sive membraneo; qui quidem sensus postea non raro toto corpore, excepta facie, percipitur sive ambulat sive in cubiculo decumbit aegrotus. Credit porro, locum in quo pedes ponat non ita esse durum, ut antea, sed solito molliorem, tanquam plantae pedis arena vel vesica aqua impleta vel potius lana subsit, et si quis crura nuda tangat, quasi per vestem mollem illud fieri aegroto videtur.

Vexatur aegrotus liquoris seminalis excretionibus involuntariis aut nocturnis aut diurnis, quae oriri possunt excitationibus libidinosis, corporis intentionibus, inprimis sub alvi et urinae excretione, cum voluptate aut aliqua aut nulla, saepius sine ulla, plerumque sine perfecta penis erectione. Si aegri coitum inire conantur, sperma aquae simile et odoris expers neque ad prolem creandam aptum prius effluit, quam penis in vaginam intrat. Jam etiam

ea organa, quae nervos ab inferiore medullae spinalis parte accipiunt, debilitari incipiunt, alvi excretio retardata visque propulsiva detrusoris urinae imminuta est, ita ut urina non continuo plenove tractu et arcu mittatur, sed potius perpendiculariter vel guttatim profluat et interrupte; nec vesica urinaria totam lotii copiam evacuat, quod semper pallidum est nunquam turbidum, alcalina plerumque reactione.

Ingreditur nunc etiam peculiaris illa affectio, quae plerumque ab auctoribus pro tam singulari ducitur, unde diagnosis facile fieri possit. Patientes scilicet pedes recta via promovere non possunt, sed titubante et claudicante uno, cum altero arcum describunt et prius calcibus quam planta terram tangunt, si oculos claudunt, stare et sedere nequeunt, sed collabuntur, quae quidem etiam in locis obscuris aegro superveniunt. Hoc symptoma, quod Romberg primus observavit, signum pathognomonicum laudavit.

Laesae digestionis signa varii generis invenimus. Ciborum appetentia aegroti carere non solent, imo haec usque ad famem caninam saepius est adaucta. Cibi copiose assumpti non satis assimilantur, nec legitime in organismi usum convertuntur. Alvus interdum prorsus obstructa, interdum tarda, nonnunquam torminibus conjuncta. Somnus inquietus libidinosis et lascivis somniis expletus, interruptus restitui non potest. Intercurrunt etiam convulsiones,

quae conquassationibus electricis similes dorso oriundae, aegro vehementissimo cum crepitu in capite desinere videntur, quo fit ut aegrotus minime recreatus surgat languoremque queratur ac summas cordis palpitationes.

Animus hypochondria laesus, mentis functiones lapsae; aegri loca amant solitaria, omnem hominum societatem fastidiunt ac fugiunt, nec raro vitae pertaesi manum sibi ipsi inferre conantur. Sunt qui procedente morbo memoria propemodum destituantur et in fatuitatem conjiciantur; quidam tamen ad vitae usque terminum extremum serenae hilarisque mentis erant. Facies livida et pallida animi moestitiam denuntiat, oculi languidi aut foedi, truces in amblyopiam deferuntur.

Quamquam igitur jam hoc tempore aegri miserrimam degunt vitam, multi tamen eorum onaniae, causae morbi creberrimae, illecebris resistere non possunt, sed principio cuidam, omnem rationem tollenti quasi subjecti, interitum praesentientes inanique desperatione cruciati, ad explendam cupiditatem libidinosam incitantur. Apud eos vero, qui sero libidinem cohibent, aut apud quos irritatio ipsa exstincta est, spermathorrhoea tamen perstat. „Sine venere, sine nocturnis imaginibus tabes hominem consumit" Celsus ait.

Stadium paralyticum. Virtus motoria extremitatum inferiorum sensim sic diminuitur, ut aegroti aliis non auxiliantibus ingredi non possint, pedes a

calcaneo ad coxam usque quasi surdi. In ambulatione plerumque genua, cum aeger insistere velit, neque recta sunt neque prorsum flexa, sed potius retrorsum; musculorum flexoriorum statu sano extensoribus praevalentium contractilitas minuitur, ligamenta genu relaxantur et inde haec oritur retroflexio. Nervus cruralis, quo contractilitas musculorum extensoriorum efficitur, in parte medullae spinalis superiore, quam nervus ischiadicus, musculis flexoriis praestans, originem suam sumit, qua ex causa nervi ischiadici functio, medulla ab infima parte tabescente, prius extinguitur et pes in altum allatus pondere suo terram petit. Brevi spatio praeterlapso debilitatem hanc in paresin et paralysin aut sine dolore aut cum eo transire videmus.

Emaciatio adaugetur. Paresis autem et serius paralysis non solum ad extremitates inferiores extensa est, sed per omnes quoque musculos, qui nervos a truncis e cauda equina proficiscentibus accipiunt, et per sphincterem igitur vesicae urinariae anique, nec minus per lumborum et pelvis musculos; aegrotus sedendo quoque vacillare solet. Organa genitalia atrophia laborant, excretione seminis involuntaria cessante. Aegri modo morositate summa taedioque societatis humanae, modo animi tranquillitate et spe phthisicis propria tenentur. Itaque fit, ut saepe myelophthisi laborantes mali gravitatem non divinent; bono laetoque animo esse et effectum remediorum ad eum solummodo finem exhibitorum, ut tranquilliores reddantur, laudare

solent, etiamsi macies, paralysis, universa morbi indoles ac symptomata exitum lethalem appropinquare certo indicent. Extremitates quoque superiores pareseos et paralyseos participes fiunt, quam iidem antecedunt prodromi, qui paralysin artuum inferiorum, calor diminutus, motus difficiliores, lassitudo. Macies, quae antea in extremitatibus praecipue erat insignis, nunc totum corripit corpus. Progrediente dein paralysi ad superiores medullae spinalis partes, primum aegroti sensum quendam pectus et abdomen constringentem queruntur, tanquam cutis inde a dorso ad latus anterius angustior facta sit: unde oritur respiratio difficilis, superficialis, dolorifica sensusque ille plenitudinis ventriculi praesertim cibis sumptis fit molestissimus. Facies ipsa est pallida, colore subcoeruleo et specie senili, vultum prae se fert stupidum, torpidum, languidum; oculi in orbitas relapsi, circulo lurido circumdati, nitore et acie orbati sunt.

Paralysis denique etiam in cerebrum transit, amblyopia in amaurosin exit, surditas et stupor summus exoriuntur; capilli canescunt et partim quidem decidunt.

AETIOLOGIA.

Ex iis, quae de hoc morbo frequentissimo quidem medullae spinalis, sed parum adhuc cognito sunt observata, id patet, sexum potiorem et primum aetatis virilis dimidium creberrime peti. Itaque morbus plerumque juvenes annorum XVI usque

XXX, eosque crebrius aggreditur quam feminas. Maxima autem dispositio est eorum juvenum, qui tenera corporis constitutione, habitu gracili nimiaque cum totius corporis, tum partium genitalium sensibilitate praediti sunt, ita ut levissimis quibusque irritamentis offendantur. Hujus morbi autem tempore involutionis genuinam et sinceram naturam formamque non amplius exstare, ex mutationibus illis anatomicis et physiologicis, quae hoc tempore secundum naturam sensim evenire solent, intelligitur.

Quod ad potentiam nocentem sive occasionalem morbi causam attinet, ex nimia seminis jactura jam ab Hippocratis aetate morbum declaraverunt. Sunt quidem, auctore Schoenlein, qui exili habitu praediti infirmaque valetudine usi, quamquam a teneris in libidines horrendas sese effuderunt et usque ad provectiorem aetatem coëundi cupiditatem manibus explent, tamen ne minimum quidem detrimentum patiantur, sed integram vultus et habitus speciem prae se ferant. Itaque Gaubius „Discrepant tamen, ait, hoc virium genere homines etiam ejusdem aetatis inter se plurimum, aliis vel modica venere languentibus, aliis immoderatissima vix exhauriendis."

Objecit quidem olim Cullenus, tantam hujus liquoris in coitu et venere jacturam non esse, ut ex ea corpus tabescat atque feminas verum semen non profundere, nec tamen a morbo immunes esse. At meminisse oportet, quam pretiosus ille liquor seminalis sit, quam valde ad corporis virilis robur ne-

cessarius. Recte igitur Avicenna: „Si quid spermatis, ait, supra quam natura toleret, coitu profluat, obest magis, quam si quadragies tantundem sanguinis emanarit." Qua quidem seminis jactura corporis et animi vires maxime infringi, bene judicavit Gaubius his verbis: „Ex nimia venere lassitudo, debilitas, immobilitas, incessus delumbis, encephali dolores, convulsiones sensuum omnium, maxime visus hebetudo, coecitas, fatuitas, circulatio febrilis, exsiccatio, macies, tabes et pulmonica et dorsualis, effeminatio." Itaque cum jam constet omnino seminis profusionem inter praecipuas morbi causas recipiendam esse, onania, turpissimo illo juventutis flagitio, myelophthisin certissime provocari, in eo omnes consentiunt auctores.

Nulla fere est causa nociva, qua tam graviter infestetur natura et vita organismi quam cupiditatibus praeter naturam expletis, et tamen frequentissime illud vitium exercetur.

Praeclare igitur Gruner: „Malus et insidiosus morbus est, qui nobiscum habitat, domi forisque est, nobiscum rusticatur, vigilantes stimulat, dormientibus blando vultu obrepit, miseros vel invitos ad se trahit, vires corporis ingeniique hebetat, minuit, consumit et tandem, lenta tabe perire jubet."

Quibus quidem masturbationibus organismo ea potissimum aetate detrimentum summum inferri patet, qua omnes, quae suppetunt vires in formando et nutriendo corpore consumuntur. Itaque hos praecipue ad interitum ruere videmus, qui aut ab in-

eunte adolescentia, aut infirma valetudine usi, aut e morbo recreati huic pravissimae consuetudini se dederunt.

Sed jam quaeritur quomodo fiat, ut tam facile et celeriter venere manibus emendicata noster morbus provocetur, quippe qui rarius sequatur coitum normalem? Causa autem minus in majore phantasiae agitatione verti videtur, qua opus est, ut obscoenas illas cogitationes, coitu manibus quasi coacto ad effectum adducat onanista; sed ex ea re potius proficiscitur, quod onanista, quo arctius vinculis funestissimae illius consuetudinis est adstrictus, eo pertinacius normali coëundi generi se subducat. Quae cum ita sint juvenes onaniae dediti, quando inter puellas vel feminas versantur, insigni quadam timiditate excellunt; virium enim fractarum incipientisque impotentiae conscii, non eam se ex normali coitu voluptatem percipere judicant, quam manipulationibus suis provocare solent.

Accedit, quod hoc vitium plerumque a pueritia exercetur eoque plus seminis profunditur quam coitu, quippe cui non tam frequens occasio detur. Accedit insuper, quod juvenibus cum una et eadem puella frequentissime coëuntibus facilius creatur satietas quaedam quam onanistis, qui foedis suis manipulationibus suavissimas, quas volunt, imagines subjiciunt, eaque ex re novos sibi stimulos sumunt. Onanistae porro quocunque tempore, sine ulla hominum attentione liberique a sumtibus et sine timore infectionis consuetae libidini se dare possunt.

Constat igitur jacturam seminis in homine rebus venereis quam maxime dedito minime adaequare seminis dispendium strenui, ut ita dicam, onanistae. Quod idem experientia confirmatur, pollutiones enim diurnae frequentissime sequuntur onaniam, rarissime autem observantur post coitum modum excedentem.

Veruntamen alii affectus et partium genitalium et medullae spinalis morbosi existunt, quibus perpetua illius systematis irritatio provocetur. Ita J. Frank saepius se observasse dicit vehementem etiam illum puerorum impetum in venerem symptoma potius esse affectionum medullae spinalis quam auctorem, cujus rei exempla quaedam affert. Huc quoque referendus esse videtur molestus iste sensus, quem onanistae quum caput movent, in profunda cervice percipiunt, quique irritationem quandam medullae oblongatae indicare videtur. Jam Celsus de pollutionibus refert, quae medullae spinalis laesionibus oriuntur. Suppressis haemorrhagiis recti et urethrae etiam pollutiones existere dicuntur. Haller somnia obscoena vires consumentia post supressum fluxum haemorrhoidum observavit. Lallemand, quaenam ratio inter pollutiones et affectiones apparatus uropoëtici intercedat, bene disposuit. Nam ut renes et testiculos, ita vesicam urinariam et vesiculas seminales non raro morbo communi laborare vidit. Pollutiones diurnae ferme semper cum catarrho vesicae urinariae chronico consociatae erant, contractionibus vesicae etiam contentum vesicularum seminalium dejicitur; jacturam seminis recidivam fre-

quentem et urgentem mingendi nisum antecedere plerumque cernitur. Interdum incubus cum pollutionibus exhaurientibus complicatus est, eoque magis vires conficiuntur.

Frequenter etiam superveniunt illae pollutiones viris arthriticis, praesertim arthritide medullam spinalem aggressa. Interdum nocturnae pollutiones inter decursum acutorum morborum febrilium reperiuntur, neque raro aegroti e typho convalescentes tanta systematis sexualis irritatione afficiuntur, ut perpetuo masturbationes exerceant, itaque certum sibi parent interitum. Topicis etiam affectionibus urethrae, vesicae urinariae, glandulae prostatae, intestini recti pollutiones commoveri possunt, frequenter occurrunt, si calculi adsunt in vesica, vel si urina retinetur.

Venimus nunc, gravissima myelophthisis causa descripta, ad reliquas causas nocivas, in quibus numerantur: fortiores contentiones extremitatum inferiorum, itinera longa atque difficillima, magna contentio eorum, qui per totos fere dies erecto corpore pedibus insistere debent, haemorrhagiae debilitantes e recto, praesertim tempore pubertatis et in stadio convalescentiae e morbis acutis et febribus typhosis, ubi et coëundi ardor admodum vehemens est; porro inflammationes columnae vertebralis chronicae, vulnera tractus spinalis et graves affectiones rheumaticae, concrementa arthritica in integumentis medullae spinalis, commotiones earumque sequelae, hydrops, emollitiones vertebrarum, coar-

ctationes foraminum vertebralium, caries aliaeque ossium degenerationes. Truestedt symptomata tabis dorsalis vidit sarcomate medullari durae matris inter vertebram quintam et sextam dorsalem sito effecta, quod ita comprimebat medullam spinalem, ut pars ejus inferior ad illud sarcoma usque maxime attenuata, emollita et fere dissoluta inveniretur; etiam e veneficio metallico myelophthisis nata est.

Apud feminas oriri solet ex multis partubus et nimis diuturna lactatione, ex creberrimo abortu et metrorrhagiis, fortasse autem haud facile ex excessu venereo. Maxime etiam ejus incremento favere videntur cura et sollicitudines aliique animi affectus deprimentes, nimiae mentis contentiones, praesertim continuis vigiliis conjunctae, quare saepius juvenes literarum studiosos, si rebus venereis immodice dediti sunt, morbo correptos videmus, quia vires eorum organicae duplici modo occupantur et consumuntur.

PROGNOSIS.

Quod de hoc morbo ominari licet, breve et triste est. Principio solum morbi, debilitate nervorum nondum nimis magna, paresi non nimis progressa et digestione non nimis labefactata, boni quid exspectari potest. Ceterum, quo diutius causa occasionalis vim exseruit, quo debilior homo et junior, vel quo pauperior est, eo pejor prognosis, in feminis tamen in universum faustior quam in viris.

Ita Horn, qui multos hoc morbo laborantes ob-

servavit, »nullius, inquit, hucusque adhibitae medendi rationis prosper fuit eventus, ac ne lentum quidem, sed perpetuum paralyseos incrementum per longius temporis spatium retardare medicis contigit; morbum autem sese adeo sanasse, nemo profecto gloriabitur.» Attamen Schoenlein contendit se in provectiori morbi stadio sanitatem reductam vidisse.

DECURSUS MORBI ET EXITUS.

Morbus plerumque decursum tenet chronicum, ita ut per plures annos perduret; contra deficiunt exempla, ubi acutissime decurrit praecipue in individuis sat adolescentibus, qui morbum excessibus in venere vel onaniae flagitio efficiebant, vel cum myelophthisis morbis acutis praegressis vires valde exhaurientibus accedit, vel cum phthisis pulmonalis et febris hectica ei se adjungit. In regionibus meridionalibus morbus celeriori decursu uti videtur. Memoratu autem dignum videtur, tempestatem vim summam exercere in statum morbosum aegrotorum. Misere igitur se habent tempestate humida tepidaque, meliore vero conditione sunt coelo sereno et subfrigido.

Morbus exit in sanationem, quae quidem nunquam in stadio secundo evenit, in stadio primo autem curatione idonea et causis feliciter remotis vires restaurari possunt, semper tamen aegrotus caveat, ne in morbum eundem recidat. Haud raro vel potius plerumque sanatio imperfecta est, nam hypochondria, dyspepsia et alia ex laesa digestione vitia ex-

orta resident. Pendet enim res in universum ex aegroti aetate, natura et corporis constitutione, e vitae ratione, ex spatio morbi ipsius, e gravitate harum causarum, quae vim in eum exercuerunt, ex illis denique affectionibus, quae concurrunt.

Saepius autem, si jam adeo provectum morbum invenimus, ut pareseos symptomata in ea paralyseos adeo transeuntia appareant, non plane sanari potest aegrotus, sed tantum in eodem statu detineri. Apud feminas myelophthisis nunquam ad tantum evehitur fastigium quam apud viros, nec tam cito decurrit, et si forsitan convalescant, hystericae semper manent.

Abit morbus denique in mortem.

Multo saepius morbi exitus letalis est. Febris lenta, sudores et diarrhoeae colliquativae aegrotum valde enervantes, haemoptysis, phthisis pulmonum, frequens atrophiae medullae spinalis comes, decubitus gangraenosus oboriuntur et accelerant obitum. Erumpit interdum exanthema papulosum vel pustulosum, permagnos dolores pungentes inferens, quod juxta tractum medullae spinalis vel in extremitatibus oritur, ex quo et ulcera gignuntur, quorum alia quidem sanescunt, alia vero proveniunt et ad decubitum gangraenosum vergunt, quod jam **Hippocrates** observavit et **Berends** affirmat. Saepenumero aegroti marasmo, aut illa medullae spinalis alteratione sursum procedente atque cordis et pulmonum paralysi ex ea coorta pereunt.

SECTIO CADAVERUM.

Pathologico-anatomicae mutationes, licet interdum fere totius medullae spinalis atrophia inveniatur, partialem tamen plerumque ostendunt defectum, qui potissimum in inferiore ejus parte, in intumescentia lumbari et cauda equina nervisque inde proficiscentibus conspicuus est. Itaque inferior medullae spinalis pars, quod attinet massam, ad dimidium circuitum normalem fere semper imminuta invenitur, qui quidem defectus est substantiae aut corticalis aut medullaris aut utriusque. Nervi extremitatibus inferioribus accedentes molliores et tenuiores apparent, et accuratius inspecti saepe vagina tantum constitui cognoscuntur. Medulla colorem amittit album, induens subflavum, griseum, subviridem; interdum nonnisi filamenta quaedam membranosa restant, in quibus neque substantia alba neque cinerea discerni potest. Vacuum illud canalis spinalis, atrophia substantiae medullaris relictum, interdum sero aut liquore puriformi impletum est, in quo casu tegumentorum vel medullae ipsius inflammatio antecessit.

Sic Horn necropsia hominis tabe dorsuali consumpti invenit in regione lumbali canalis columnae vertebralis circiter unciam liquoris serosi, tunicas medullae spinalis aliqua ex parte sanguine impletas, duram matrem consistentiae adauctae, totam medullam spinalem, inprimis inferiorem ejus partem atrophicam. Substantia cinerea a substantia alba distingui non potuit. Caudae equinae fasciculi mirum

in modum tenues et omnis substantiae nerveae expertes. Ossa cranii crassiora, in cavo cranii copia liquoris aquosi sat magna, quae haud dubie ex cavo columnae vertebralis eo pervenerat, thalami nervorum opticorum, corpora geniculata et quadrigemina valde minuta, nervi optici complanati et graciles.

Juvenis XXII annorum, constitutione firma antea usus, sed onaniae flagitio corrupta, postquam decem septimanas morbum perpessus est, mortem obiit. Corpus valde intabuit. Cerebrum multo sanguine impletum et ventriculi ejus laterales aliquantum humoris aquosi continebant. Pulmones tuberculis infiltratis et cavernis erant affecti, ita ut ne quarta quidem substantiae pars structuram servasset normalem. In intestinis nihil morbosi. Sed memoratu dignissima erat medullae spinalis conditio, quae a medulla oblongata ad caudam equinam usque proprium tabescentiae statum praebuit. Hoc enim in casu haud, uti solito, substantia nervea intabuerat, sed tela cellulosa nervos involvens tantopere evanuerat, ut tota medulla spinalis fere speciem caudae equinae accepisset. In cauda equina non solum velamentorum, sed substantiae ipsius quoque detrimentum factum est. Testes plane decreverunt.

Ollivier de quodam ex tabe dorsali demortuo haecce nobis refert. Substantia medullae spinalis consistentiam normalem, sed ambitum dimidio minorem prae se tulit, et intumescentia lumbalis ita intabuit, ut medullae ambitus ad finem usque extremum sensim conficeretur.

Romberg narravit se solas reperisse posteriores nervorum radices atrophicas et simul cum illis posteriorem medullae spinalis partem, anteriore sive motoria parte radicibusque motoriis nullo modo mutatis.

THERAPIA.

Indicatio causalis in curanda myelophthisi praecipue nobis respicienda est, causae igitur diligentissime sunt indagandae atque dum ullo modo fieri possit, removendae. Verum enim vero cura difficillime est instituenda morbo vel recenti, nedum inveterato, neque licet indulgere opinioni morbum tam gravem totique constitutioni inhaerentem remedio uno alterove specifico, uti dicunt, vel sola cura pharmaceutica tolli et sanari posse. Cura potius, qua sola aegrotis auxilium et sanatio afferri possunt, diaetetica sit necesse, quae apto tempore accurataque ratione instituta, modo constanti ab aegroto observata de regeneratione et salute patientis spem aliquam foveri concedit. Remedia vero, vel interna vel externa, non mutato toto vivendi genere nec idoneis praeceptis congruente, damnum potius quam levamen miseris afferre valent.

Est medici removere et arcere quodvis irritamentum a partibus genitalibus irritabilitatemque totius corporis, qua leviori quavis ansa magni oriuntur effectus, et praecipue partium genitalium imminuere et supprimere. Vires igitur sunt sustentandae et augendae et id praecipue agendum, ut singulae corporis functiones modo quodam aequali et regu-

lari procedant. Inde jam sequitur, ut aegrotus nec quieti indulgeat nec labori nimio; vita sedentaria vel otiosa vel laboriosa morbus increscit, motu vero parco medicoque decrescit.

Gravissimum quidem est ad libidinem domandam incitare aegrum et voluntatem ejus ita firmare, ut, si masturbationi deditus sit, ab hac prava consuetudine abstineat. Aegroto verbis severioribus, semper tamen benevolis, teterrimae sequelae sceleris sui explicandae sunt; idem semper cum intimo familiari, cui fides est habenda, versetur, ut a secreto arceatur scelere. Curatio psychica maximis cum cautelis instituatur necesse est, cum teterrimis illius morbi sequelis expositis, facillime aegrotus ad desperationem, melancholiam et insaniam adigatur, ita ut ipse manum violentam sibi inferat.

Lectus, quo utatur aegrotus, neque mollis neque calidus sit necesse, petat vespere satis multo primaque luce relinquat, simulac expergefactus est, somniis enim libidinosis indeque pollutionibus insignes esse horas matutinas neminem fugit.

Solvatur quotidie alvus, lavacra adhibeantur frigida perinaei et partium genitalium, etiam dorsi, antequam aegrotus somno se tradat. Quod spectat ad victum, omni cura est cavendum, ne copia ciborum utatur aeger nimis magna; saepius cibos sumat, sed manu parca. Diaeta carnea, vegetabilia amylacea et mucilaginosa aegrotanti optime conveniunt. Contra omnia illa alimenta, quibus acre principium quoddam inest, vel digestionem laedere, vel diure-

ticam quandam vim exercere queunt, sedulo sunt refutanda; talibus enim nutrimentis nullo pacto vires exhaustae recuperantur, imo novum potius incitamentum paratur, plerumque vero accidit, ut digestionem offendant.

Quod de cibis diximus, idem ad potus, quibus utatur aegrotus, referendum est. Omnes potus calidi et spirituosi, quibus excitamur, detrimentum aegroto inferunt, aqua frigida sola, vel passim cerevisiae, vel etiam vini boni copia modica utatur. Instituta tali vivendi ratione remediis quoque internis curae diaeteticae vim et effectum augere juvat. Eligantur remedia, quae systematis nervosi erethismum minuere et deprimere queant, quorum praestantissima dicimus acida mineralia, praesertim elixir acidum Halleri gtt. x—xx in vasculo aquae fontanae semirepleto. Contra irritabilitatem partium genitalium nimis adauctam camphora in usum est vocanda, quae detur aut forma pulveris cum saccharo ab gr. j usque ad gr. ij bis vel quater de die, aut in emulsione ex aqua menthae piperitae cum gummi arabico parata; praeterea nitrum depuratum magnis laudibus hoc in casu effertur.

Vitetur porro coitus, interdum etiam initio morbi connubium optimum est remedium, quo aegrotum a deleteria masturbatione arceas; neque vero obliviscaris, in adhibendo illo remedio duorum hominum fortunam ac salutem in discrimine versari neque concessum esse uxoris felicitatem delere, ut maritum servet.

Restat autem ultimum quamvis periculosum remedium, quo pollutiones et detrimenta, quibus aegroti afficiuntur, prorsus tollantur, dico castrationem. Castratio tum solummodo applicanda est, si ex valetudine et conditione aegroti sperare licet, fore ut operationem feliciter sustineat. Apparet medicum sobrium, priusquam illam operationem admittat, cetera remedia in usum vocaturum esse, neque vero, si non evitanda sit castratio, tempus operationi idoneum omissurum. Negari quidem non potest, ultimum hoc remedium interdum utile futurum, quippe cum aegroti testibus sublatis, coitus exercendi jam nullam prorsus habeant vim et facultatem. Si alia myelophthisis est causa quam onania seminisque jactura, hasce noxas pro natura et indole morbi oppugnare medici est. Matres lactantes a mammis depellant infantes, sanguinis si adsunt vitia sunt corrigenda, dyscrasiae removeantur.

INDICATIO MORBI.

Sensibilitate et irritabilitate usu medicamentorum supra enumeratorum ad gradum minorem reducta, quassia, china, chininum in usum vocari queunt, serius etiam ferrum, si quidem non aliae exstent conditiones morbosae, quae tale remedium vetent, uti pulmonum vel alius organi laesiones, sed caute illud porrigendum. In casibus singulis diaeta lactea utilitatem attulit aegrotis maximam. Canstatt oleum proponit jecoris aselli, cujus vis salutaris in omnibus atrophiae generibus probata sit. Neumann

balsamum peruvianum commendat. Ad magnam celebritatem pervenerat acidum phosphoricum, phosphorus, nux vomica, strychninum, quod quidem remedium eodem modo ut electricitas in illa paralyseos specie ex functionis nervorum dynamica perturbatione orta probatum inveniebatur.

Inter remedia externa laudatur frigus: ordiamur a balneis localibus genitalium, lavacris frigidis et insessibus, in quibus aegrotus per aliquot minutas commoretur, adhibeantur clysmata frigida et tegantur partes pudendae linteo aqua frigida humectato. Porro lotio curaque cutis non sunt negligendae, praesertim balnea frigida fluviatilia tempore aestivo maximi sunt momenti, quippe quae corpori tonum reddant vitalem; denique etiam aqua frigida violentius in regionem dorsalem et lumbalem conjiciatur. Nonnunquam etiam pro constitutione aliaque conditione individuali fontium medicatorum usus, quorum aqua ferrum continet, quae pro balneis adhibeatur, e. g. Ems, Schwalbach, Pyrmont, Spaa, Driburg, Bocklet, Brückenau, Steben, Wiesbaden, aegris commodo est. Sunt etiam qui laudent balnea uliginosa et limbosa et Aachen, Teplitz, Gastein; applicentur quoque lotiones dorsi spirituosae et infricentur dorso linimentum volatile, unguentum nervinum, phosphoratum etc. Postremo memores simus cauterii actualis et applicationis emplastri cantharidum, at caveamus, ne illi noceamus, cui salutem afferre non possumus, remediis nostris.

LIBRORUM, QUIBUS USUS SUM, INDEX HIC EST:

Joh. Mueller, Physiol. Bd. I. 700.

Hippocrates, de morb. Lib. II. cap. 49. de intern. affect. cap. 14.

Celsus Lib. IV. cap. 21. Lib. V. cap. 25.

Schoenlein, Pathol. u. Therap. T. I.

Gaubius, Institut. pathol.

Gruner. Diss. de masturb. 15.

J. Frank, Prax. med. P. II. Vol. I. Sect. II. 57 — Sect. I. 416.

Romberg, Lehrbuch der Nervenkrankheiten. Bd. I. 228.

C. Sprengel, Institut. med. Vol. VI. cap 84.

M. Lallemand, des pertes seminales iuvoluntaires. 357.

Harless, über Entz. d. Rückenm.

S. Richter, Spec. Therap. Th. IV.

Med. Vereinszeitung. 1833. N. 13.

Berends, Opp. posth. T. I. 86.

Horn's Archiv. 1833. H. I. 110.

G. Horn de tabe dorsali. Berol. 1827. 4.

Rust's Magazin. XXII. 476. Heft 3. XIX. 229. XII. Heft 3.

Ollivier, de la moelle épinière et de ses maladies.

C. Canstatt, Spec. Path. u. Therap. Bd. 3. 2te Aufl.

K. G. Neumann, Bemerk. üb. d. gebr. Arzneim. Berl. 1840.

Schmidt's Jahrb. 1834. Bd. III. 336.

Otto, Lehrb. d. pathol. Anatom. Bd. I. 412.

L. Martinet, Recherches sur l'inflammation de l'arachnoide cérébrale et spinale. 547.

Hufeland, Encheirid. med. 130.

Naumann, med. Klin. Bd. VII. 716.

Tissot, Opp. med. T. I.

Wichmann, de pollut. diurna, frequente sed rarius observata tabescentiae causa.

VITA.

Natus sum ego, Carolus Otto Oertel, Primislaviae anno MDCCCXVI die XXIII mensis Julii patre Joanne Godofredo, matre Carolina e gente Doering, quos parentes dilectissimos ad hunc usque diem incolumes mihi gratulor. Fidem profiteor evangelicam. Primis litterarum elementis imbutus gymnasium Primislaviense, quod t. t. Directore Exp. Paalzow florebat, adii, ubi per annos octo litteris ingenuis operam dedi; tum vero rebus familiaribus coactus, prius quam maturitatis testimonium accepissem, inde discessi. Anno h. s. XXXIX Berolinum me contuli, ibique per duo semestria hisce lectionibus interfui:

Ill. Link de historia naturali, botanice et pharmacologia; Ill. Mitscherlich de chemia experimentali; Ill. Rose de chemia analytica, organica et pharmacia; Ill. Schubarth de physice. Examinibus pharmaceuticis rite superatis, tempore paschali anni h. s. XLII almam musarum sedem Berolinensem iterum petii et a Rectore magnifico Ill. Raumer in civium academicorum numerum receptus, apud Decanum maxime spectabilem Ill. Trendelenburg nomen sum professus; deinde autem testimonium maturitatis in gymnasio Berolinensi, cui adhuc Clar. August Directore florenti nomen est Coloniensi, adeptus et ab Ill. Busch, Decano spectatissimo, in album medicae facultatis relatus hasce audivi lectiones:

Ill. Gabler de logice et metaphysice; Cel. Erichson de zoologia et entomologia; Ill. Hecker de encyclopaedia et methodologia et de historia medicinae; Ill. Mueller de anatomia et organis sensuum, de physiologia et anatomia comparata; Ill. Schlemm de osteologia et syndesmologia;

Cel. Eck de pathologia generali; Ill. Juengken de chirurgia generali et speciali, Exp. Simon de anatomia, histologia et pathologia generali; Ill. Romberg de pathologia et therapia speciali; Ill. Horn de morbis mentis; Exp. Isensee de morbis cutaneis et syphiliticis; Cel. Schmidt de arte obstetricia; Ill. Wagner de medicina forensi.

In exercitationibus anatomicis mihi Ill. Mueller et Schlemm duces fuerunt, in clinicis medicis, chirurgicis, ophthalmiatricis Ill. Dieffenbach, Juengken, Romberg, Schoenlein, Wolff, in obstetriciis Cel. Schmidt, in forensibus Ill. Wagner.

Quibus viris omnibus, maxime de me meritis, gratias ago quam maximas, semperque habebo.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, et examine rigoroso rite superatis, spero fore, ut summi in medicina et chirurgia honores mihi concedantur, simulatque dissertationem thesesque publice defenderim.

THESES.

1. Sedes doloris non semper sedes morbi.
2. Dilatatione cordis dextri phthisis pulmonum tuberculosa nunquam caret.
3. Institutio ulcerum artificialium in amputationibus prorsus est rejicienda.
4. Secali cornuto Ergotinoque carere possumus in arte obstetricia.
5. Stimulus ad partum in utero magis quam in foetu quaerendus.
6. Homoeopathia medicinae hysteria, hysteriae medicina.